



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

28. An reuocantes mandatum, & consilium, si percussio Clerici sequatur, incidant in censuram? Idem dicendum est de irregularitate, & damni compensandi obligatione. Et quid dicendum est de illo, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ob Clerici percussione Ref. XXVII. &c. 141

6. dub. 4. n. 62. Suarez disp. 2. 2. 2. c. 1. n. 55. & Carolus de Gressis eff. 7. 9. num. 35. nam ille est causa moralis talis percussione; & excitat & movet. & virtualiter mandat. Verum verò mandans incurrat, si mandarius exerceat fines mandati: ut, quia mandavit tantum verberare Clericum, & mandarius illum vulneravit: Et incurrit fatendum est, prout in simili dicitur de eo, qui fecit mandatum ad vulnerandum: quod si fecerit quatuor homicidium, tenetur de occiso c. 5. de homic. in 6. nam vulnera, & percussiones non dantur ad mensuram. Secus autem esset, si quis mandaret, ut tantum inferretur Clerico injuria verbalis, & mandarius exerceat, faciendo illi injuriam personalem: quia tunc mandans non erit excommunicatus, prout ipse mandarius: & hoc ea ratione, quia mandans iussit fieri actum, propter quem de sui natura non incurrit in poenam excommunicationis.

3. Nota etiam, quod si aliquis, licet non mandet, vel consulat percussione expresse, dicit tamen coram suis, se desiderare vindictam de tali Clerico; si postea sui moti his verbis percutiant; iste incurrit excommunicationem: quia, licet non dixerit eo animo, tamen debebat prævidere, suos credituros esse, quod ipse hoc animo dicebat. Quod probatur argumento cap. ultimi de homicidio, in 6. Unde, ut esset liber ab excommunicatione; deberet affirmare, se non dicere eo animo, ut percutiant, & quod non desiderat, quod ipsi percutiant, probatur argumento cap. penultimi de homicidio in 6. Vide Avilam de cens. part. 2. cap. 3. disp. 3. dub. 10. concl. 3.

4. Notandum est etiam hic, ratam habentem percussione Clerici, etiam post factum, incurrit in censuram Canonis, ut patet ex textu in cap. Cum quis, de cens. excommunicat. in 6. cujus verba sunt hæc: Cum quis absque tuo mandato manus iniecit in Clericum tuo nomine violentias; si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incurrunt, incurris, dum ratio habita retrahatur, & mandato debeat comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc, licet peccet ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationem illius vinculo innodatur: cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. Hæc ibi. Tria tamen requiruntur, ut optime observat Megala in 3. part. infir. Confess. lib. 4. c. 1. quæst. 1. num. 7. ad hoc, ut ratum habens hac censura ligetur. Primum, ut delictum sit commissum nomine tuo, alioquin illud ratificare non potest, ut dicit textus. Secundum, ut verum ratum habeat, id est, ut approbet factum nomine suo: nam, si tantum non doleret, vel gauderet, quod sit factum, non diceretur ratum habere: tertium, ut tempore, quo fuit commissum delictum fuerit ipse habilis ad committendum illud: nam, cum rati habitio retrahatur ad tempus, priusquam fuerat commissum delictum, necessario requiritur, ut tunc temporis ratum habens fuerit habilis ad mandandum: unde, si erat tunc infans, vel amens, ratum habere non potest. Et hæc omnia docet etiam Villalobos Summa t. 1. tr. 17. diff. c. 2. 2. num. 11. ubi sic ait: [Aunque este Canon no habla de los, que mandan, sino solo del que por si hiere al Clerigo, otro Canon lo estende al que lo manda; & que por su autoridad otro al Clerico. Y otro Canon, le estende à aquellos, en cuyo nombre se hizo, aunque lo ignorassen, si despues quando lo supieron, lo confirmaron, que esto es como si lo viciaran mandado al principio, conforme à la regla de De-recho, que dize: Rati habitio retrahitur, & mandato comparatur. Mas si despues no lo aprovo, si no que dixo, que le pesava dello, no quedara descomulgado; ni tam poco lo quedara el, que se holgo del agravio que se hizo al Clerigo, sino se hizo en su nombre, conforme à otra regla, que dize: Ratum quis habere non potest, si quod ipsius nomine non est gestum, y se

colige del texto citado.] Hæc ille. Sed ne deseras videre Avilam de censur. p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 9.

RESOL. XXVII.

Quis consuluit homicidium cujusdam Clerici, sed postea serio consilium revocavit, quæritur, an ex homicidio sequuto incurrat excommunicationem, irregularitatem, & obligationem restituendi? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 84. alias 83.

§. 1. Pulchra est hæc quæstio; & ex illa à Confessariis multi casus benigne si opus erit resolui possunt; ideo probabiliter negative respondendum esse puto. Et ratio est; quia quando consulens fecit quod potuit, ut prius consilium evertat, vel ostendat omnibus consideratis esse iniquum, & non amplectendum, non videtur in tali casu exequutor ipsius consilii moveri, sed potius sua malicia. Et ideo contra Navarrum in man. c. 2. 7. n. 255. & alios, hanc sententiam quoad excommunicationem tenent Layman in Theol. mor. lib. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 7. Avila de cens. p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 7. concl. 3. & alij. Idem quoad irregularitatem contra Molinam tr. 2. c. 3. poster. disp. 731. Tole-tum lib. 1. c. 85. & alios sic tenent D. Anton. in 3. p. cit. 28. c. 2. §. 2. Sylvest. ver. homicidium 1. n. 11. §. 3. & n. 12. in fin. Petrus Navarra de restit. lib. 3. c. 1. n. 27. & hanc sententiam probabilem vocat Less. lib. 2. c. 13. dub. 1. n. 17. & Laym. loco citato. Et tandem quoad obligationem restituendi, liberant etiam consulentem qui serio consilium suum revocavit, non ignobiles auctores, ut Tannerus in 2. 2. disp. 4. 9. 6. dub. 15. n. 394. Salom. in 2. 2. 3. 6. 2. art. 7. contr. 6. & expressius Petrus Navar. de restit. loco citato. Emanuel Sà ver. restit. n. 11. contra Maldenum in 2. 2. tr. 4. c. 2. dub. 3. & hanc sententiam cum Lessio probabilem etiam vocat Layman; uti revera est.

2. Concludendum est igitur cum dicto Layman in gratiam Confessariorum ad tollendos omnes scrupulos, quod qui alteri propositis rationibus homicidium injustum persuasit, si eas postea serio, & quatenus potest efficaciter retractavit, sequuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem restituendi incurrit.

RESOL. XXVIII.

An revocantes mandatum, & consilium, si percussio Clerici sequatur, incidunt in censuram? Idem dicendum est de irregularitate, & damni compensandi obligatione.

Et quid dicendum est de illo, qui propinato veneno Clericum occidit, tamen si diligentiam adhibuerit ad damnum impediendum. Ex part. 9. tract. 4. Refol. 15.

§. 1. Negative respondet Sylv. ver. Homicidium, 1. num. 11. & §. 3. num. 12. Navarra de restit. lib. 3. c. 4. num. 47. Avila de cens. part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 7. concl. 1. & Layman lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 7. num. 7. in fine, ubi sic ait: [Resolutio sit: Qui alteri, propositis rationibus, homicidium injustum persuasit, si eas postea serio, & quatenus potest, efficaciter retractavit; sequuto nihilominus homicidio; excommunicationem non incurrit; quin & probabiliter ab irregularitate, & damni compensandi obligatione immunis est: quamvis opposita sententia, quod attinet ad irregularitatem, & damni compensationem, æquè probabilis, aut fortasse probabilius existat.] Ita ille. Igitur, secundum hos Authores, facta revocatione mandati, vel consilij de se efficaci, non est censendum, mandatarium, vel consiliarium ex eo moveri, sed ob suam malitiam, cum revocationi stare possit, & debeat.

2. Sed

Sup. contentis in titulo hujus ref. in ref. seq. 84. sup. in tr. 1. ref. 74. per tot. signanter §. 2. ante medium, à vers. Vtrum, & pro parte, & obligatione restitutionis in to. 8. tr. 5. ref. 85. & pro parte irregularitatis inf. in tr. 6. lege doctrinam Ref. 25. & aliarum hujus not.

Pro excommunicatione, irregularitate & damni compensatione contentis in hac Ref. signanter lege precedentem Ref. per tot. & pro parte, vide alias Ref. & §. ejus annot.

2. Sed affirmativa sententia adherent Navarrus cap. 7. n. 33. Anton. Gomez lib. 3. resol. cap. 3. n. 40. & 45. Molina ir. 6. disp. 52. n. 2. & 3. Coninch disp. 24. dub. 15. n. 183. Lessius c. 13. dub. 3. n. 18. contrarium opinantes: asserunt enim, si mandatarius, vel is, cui datum est consilium, dissuaderi non potuit, quum ex mandato, vel consilio, moveatur ad factus patrandum, mandantem, vel consulentem in excommunicationem incidere: quia facinoris causa fuit medio suo mandato, vel consilio, quod de facto remove non potuit. Sicuti in excommunicationem incidit, qui propinato veneno Clericum occidit, tamen si diligentiam adhibuit ad damnum impediendum. Ego vero utranque sententiam probabilem esse puto, licet secundam existimem probabilior. Unde assero cum Castro Palao 1. 6. disp. 3. punct. 23. §. 3. n. 9. quod si adhuc tibi constet, mandatarium, vel consiliarium tuo mandato, vel consilio moveri, vel quia non credit ex animo te revocare, vel rationes revocationis non sunt æque efficaces ad contrarium persuadendum, et si probabilis sit sententia, quæ te ab omni censura, poena, & obligatione excuset: at probabilior reputo sententiam, quæ te condemnat, tum, quia communior; tum, quia de facto tuum mandatum, vel consilium causa fuit delicti. Nam esto malitia mandatarij, vel ejus, cui datum est consilium, adscribi debeat, quod revocationi nolit adherere, attamen dum de facto revocationem non assentitur, mandatum, seu consilium firmum persistit, causaque est delicti. Ergo excommunicatio imposita iis, qui suo consilio, vel mandato in percussione Clerici concurrunt, hos comprehendit. Non bene itaque his diebus quidam Religiosus mordicus sustinebat, consulentem percussorem Clerici, si revocet consilium, incurrere censuram Canonis: nam opinio negativa, ut dixi, est satis probabilis. Et idem dicendum puto quoad incursionem irregularitatis, & obligationem restituendi: quicquid in contrarium asserat Layman loco citato, quoad irregularitatem, & restitutionem: & ita, me citato, tenet Leone de cens. recollect. 5. num. 112.

RESOL. XXIX.

An mandantes, & consulentes percussorem Clerici, si ante percussorem paniteant, & conterantur, incidunt in censuram?

Et supponitur non posse revocare mandatum, nec consilium. Et an excommunicatio incurritur ab illo, qui postquam mandavit, moritur, antequam percussorem Clerici?

Et in conclusionem supradictæ difficultatis aliquæ aliæ adducuntur in textu hujus Resolutionis. Ex part. 9. tr. 4. Ref. 16.

§. Vpono non posse revocari mandatum, nec consilium. Et affirmative respondet Cornejo in 3. p. D. Thome, tr. 5. de excomm disp. 3. dub. ult. ubi sic ait: [Excommunicatio de se non est impossibilis cum gratia, nisi ratione peccati propter quod incurritur: ergo, si hoc peccatum est jam remissum, sive postquam incurta est, sive antequam incuratur, potest optime esse simul cum gratia.]

Sup. hoc lege doctrinam ref. i. not. seq. a princ.

2. Quæres, quid sit iste casus? Respondetur esse, quando quis præcipit servo percussorem Clerici, & poenitet ante executionem mandati; tamen propter loci distantiam non potuit intimari servo revocationem mandati ante Clerici percussorem: nam revera mandans incurrit excommunicationem latam ipso jure contra Clericorum percussores, etsi tunc sit in gratia ratione contritionis. Ratio est, quod iste in eo casu est absolute voluntarius percussor Clerici: quia adhuc non revocato mandato, revera influit moraliter in talem percussorem. Nec refert, quod culpa sit ei remissa

sa per contritionem, nec similiter quod excusetur à nova culpa ex impossibilitate intimandi servo revocationem mandati: quia necesse erat ad vitandam excommunicationem, ut de facto non influeret moraliter in talem Clerici percussorem, quia influit non tollitur ex sola interna contritione peccati: ergo quod peccatum, propter quod censura fertur, remissum ei sit, non sequitur, quominus in hoc casu excommunicatio incuratur.

3. Sed objicies primò: Excommunicatio est poena medicinalis: ergo non incurritur, nisi durante intentione peccati. Respondetur, negando consequentiam, saltem in hoc casu: tum, quia licet excommunicatio non sit medicina respectu ipsius excommunicati, satis est, ut sit medicina respectu aliorum: tum etiam quia adhuc in hoc casu est medicina respectu excommunicati, si non ad recuperandam sanitatem de peccato jam remisso, propter quod est incurta; saltem est medicinalis respectu aliorum peccatorum, ut deinceps evitet similia peccata.

4. Objicies secundo: Correctio fraterna non habet locum de peccato præterito, de quo proximus est jam sufficienter emendatus: ergo neque excommunicatio habet locum in hoc casu. Antecedens patet, quia in eo casu jam frater est lucratus Deo; quod erat finis fraternalis correctionis. Et consequentia probatur, quia si tunc non habet locum medium suavius, qualis est correctio; multò minus habebit locum medium acerbior, qualis est excommunicatio. Respondetur, negando consequentiam: & ratio est, quod correctio fraterna ordinatur ad salutem privitam proximorum non habet locum, quando jam proximus à peccato respicitur: at vero poenitentia facta ab homine vel à jure, respicit præcipue bonum commune, & publicam utilitatem, ac proinde cessare non debet, quavis reus de peccato suo doluerit, præcipue cum in hoc casu maneat effectus prioris voluntatis peccaminose nondum sufficienter retractatus.

5. Objicies ultimo: Si excommunicatus offert Ecclesiæ satisfactionem, judicatur dignus absolutione, ex textu in c. Quapropter, de appellat. ergo, si à principio ante excommunicationem prædictam satisfactionem obtulisset, non posset excommunicari: sed hanc satisfactionem obtulit, qui in hoc casu revocavit mandatum percussoris Clerici: ergo non incurrit excommunicationem. Respondetur: concessio antecedenti, & prima consequentia, negando minorem, quia cum iste non intimaverit mandatum revocationem mandati, non censetur obtulisse per se obedienciam præcepto Ecclesiastico prohibenti percussorem Clerici. Nec refert, quod non steterit per ipsum, quominus fieret talis intimatio: nam, licet hoc excuset illum à nova culpa, non tamen excusat à nova poena, cum hæc impossibilitas non auferat priorem voluntatem, ratione cujus moraliter influit in percussorem Clerici, & sibi debet imputari, quod in tales angustias sit redactus. Et hæc omnia docet Cornejo ubi supra.

6. Confirmatur: quia censura est poena: sed ad incurrendam poenam sufficit effectus sequutus, etsi non sit peccatum, neque voluntarius: ergo. Probatur minor, per textum in cap. Si quis infans, 15. q. 1. ubi habetur, quod si quis infans aliquem occiderit, si postea ad sanam mentem devenit, debet leviori poenitentia puniri: occiso facta ab infans non est peccatum, neque voluntaria; & tamen ibi jubetur puniri, etsi leviori poenitentia: ergo ut incuratur poena, sufficit effectus prohibitus sequutus, etsi in eo non concurrat peccatum, & voluntarium: ergo à simili in casu nostro, licet mors sequatur post Confessionem non sit peccatum novum, neque sit voluntaria, ex quo voluntas fuit præcisa per Confessionem: tamen incurritur excommunicatio.